

animum non advorti primum ; sed postquam aspexi ilico  
cognovi, ad te exsilui. *CH.* quid nunc suspicare aut invenis  
45 dē illa? *SO.* nesciō nisi ēx ipsa quaeras unde hunc  
habuerit,

si potis est reperiri. *SY.* interii : plus spēi video quam  
volo :

nostrast, sī itast. *CH.* vivitne illa quoi tu dederas? *SO.* 660  
nescio.

*CH.* quid renuntiavit olim? *SO.* fecisse id quod iusseram.

*CH.* nomen mulieri' cedo quid sit, ut quaeratur. *SO.*  
Philterae.

50 *SY.* ipsast. mirum ni illa salvast et ego perii. *CH.* So-  
strata,

sequere me intro hac. *SO.* ut praeter spem evenit ! quam  
timui male

ne nunc animo ita esses duro ut olim in tollendo, Chreme! 665

*CH.* non licet hominem esse saepe ita ut volt, si res non  
sinit.

nunc ita tempus est mi ut cupiam filiam : olim nil minus.

*SY.* Nisi me animu' fallit multum, haud multum a me  
aberit infortunium :

ita hac re in angustum oppido nunc mēāe coguntur copiae ;  
nisi aliquid video ne esse amicam hanc gnati resciscat senex. 670